

gleicher Zeit von der Temperatur des Arbeitsraumes unabhängig macht. Der Apparat befindet sich im Besitz der k. k. Weinbauversuchsstation in Klosterneuburg.

Mancherlei Bedenken führten mich aber unterdess zu einer vollkommeneren Construction, über die zu berichten ich mir an einem andern Ort erlauben werde. —

Wien, 15. November 1875.

---

### Erklärung der Abbildungen.

Tab. VIII. Mikroskop sammt dem mit Wasser angefüllten Gefäss. a Objectivsystem. b Objectträger. c Object. d Thermometer. e und e, Kork. f Glasring. g Becherglas. h Schlechte Wärmeleiter zur Trennung des Gefäßes vom Mikroskopisch i. k Blendlösung. l Zuflussrohr. m Abflussrohr.

Tab. IX. Der Verlauf der Geschwindigkeit der Protoplasma- und Chlorophyllkörnerbewegungen in ein Coordinatenystem eingetragen. Auf der Abscissenaxe finden sich die Temperaturen: die obere Reihe bedeutet Réaumur'sche, die untere Celsius'sche Grade. Die Zeiten sind von zwei zu zwei Secunden auf der Ordinatenaxe verzeichnet, wobei der grösste Zeitwerth der x Axe zunächst liegt.

---

**Lichenes Brasilienses,**  
collecti a D. A. Glaziou in provincia brasiliensi  
Rio Janeiro  
auctore Doct. A. de Krempehuber.

(Continuatio.)

120. *Pertusaria velata* (Turn.) Nyl. Lich. Scand. p. 179.

Corticola (coll. 2013).

121. *Pertusaria subcorallina* Nyl. in Flora 1869, p. 121. sp. n.

Accedit facie externa ad *Isidium corallinum* Ach., sed verrucae thallinae apotheciorum fere ut in *P. leiomplaca*.

Sporae non visae evolutae, sed ni fallor thecae sunt monosporae. Thallus hydrate kalico nonnihil flavescit.

Corticola (coll. 2191).

122. *Pertusaria tuberculifera* Nyl. Prod. Lich. Nov. Gran. ed. 1. p. 34, 2. p. 38.

Sporae 2—3 in asco, endosporio leviter transversim stricto, et limbo interno endosporium cingente plicato-crenulato(trabeculato).

Sporae long. 0,088—0,132, crass. 0,030—044 mm.

Corticola (coll. 1907, 5065, 6266).

Forma minor. Sporae 4—8nae. / Corticola (coll. 2195. 3406).

Sporae 0,082—0,100, crass. 0,035. (Specimina Nr. 3406 non-nihil dubial)

123. *Pertusaria leioplaca* (Ach.) Nyl. Lich. Scand. Prodr. p. 181.

Corticola (coll. 2197).

var. *trypetheliiformis* Nyl. in Ann. sc. nat. 4, XI. p. 241 et XV. p. 45.

Sporae 4 nae, long. 0,080—0,110, crass. 0,035—045 mm.

Corticola (coll. 1962. 2012).

124. *Pertusaria dealbata* (Ach.) Nyl. Lich. Scand. p. 181; Prodrom. Lich. Nov. Granat. 2. p. 36.

Corticola (coll. 7111).

125. *Pertusaria subvaginata* Nyl. in Flora 1866, p. 290.

Corticola (coll. 6312, 6252, 6311).

In speciminibus omnibus praesentibus sporae desunt, sed haec quoad faciem externam bene quadrant in specimina in Lindig. exs. Nr. 133 divulgata.

frm. *variolosa*.

Corticola (coll. 3272).

Color thalli hypochlorite calcico non mutatur, hydrate kalico virescit.

*Ad not.*

Numeri 7112, 6309, 6392, 5561, 6243, 6336, 5537, 6255, 6254, 6251 omnes pertinent ad species generis Pertusariae, degeneratas vel non rite evolutas, itaque sunt indeterminabiles. —

Species exoticae generis Pertusariae inter illos lichenes commemorandae sunt, de quibus, quantum nos saltem compertum habemus, ab hodiernis lichenologis minime bonae et fideles diagnoses descriptionesque datae sunt, et qui forsitan credit, Pertusariam quamquam exoticam solum ex talibus, solito modo nimis brevibus et saepe plus minus incompletis, diagnosibus certe recognosci et denominari posse, in errore versatur. Quod valet caeterum etiam de permultis aliis lichenibus, et pro dolore, neque in laudem scientiae lichenologicae fateri debemus, lichenes multos exoticos

(etiam europaeos rariores) tantum ab illo beato scrutatore lichenologico recte et fideliter determinari posse, qui praeter diagnoses huc pertinentes etiam typos vel saltem horum specimina jam determinata, authentica ante oculos habet; hisce deficentibus, saepe errabit.

Sic etiam praecipue de Pertusariis exoticis exploratio nova, praesente diligentior et notas quoque subtiliores respectens necessaria et valde desideranda sit.

Sed determinatio certa lichenum exoticorum (praecipue ex ordinibus inferioribus vel e classe lichenum crustaceorum minorum) habet in praesentia etiam difficultates multas ex ea causa, quod adhuc deest enchiridion bonum et completum lichenum omnium hucusque in terra detectorum, et quoniam commentationes de lichenibus exoticis publicatae in permultis scriptis periodicis, saepe difficile vel nullo modo adeundis, dispersae sunt. Quisnam lichenologus nesciat, quam multas quamque longas indagationes hodie postulet saepe determinatio speciei unicae exoticae? In his difficultatibus saepe non superandis sine dubio etiam causa sit quaerenda, cur lichenologi hodierni tam raro etiam studium lichenum exoticorum solent colere, quamvis hoc studium adhuc offert tam multas novitias et momenta gravia, aestimatione maxime digna.

#### 126. *Phlyctis sorediiformis* Krphb. sp. nov.

Thallus glaucescens vel pallide olivaceus, tenuis, laevis, iniquitates substrati continue obducens et pulvinulis (diam. circ. 2,0 mm.) convexis albo-farinosis, crebris, sorediiformibus obtectus; apothecia patellulas parvulas, pallidas vel pallide fuscescentes, lividas, nudas sistentia, plura in illis pulvinulis albo-farinosis involuta tantumque punctiformia vel paene forminulose visibilia; sporae 6—8 nae, fusiformi-cylindraceae, flexae vel plerumque curvulae, incolores, 8—10 septatae, long. 0,055—060, crass. 0,004—005 mm.; paraphyses gracillimae, capillares, longae, bene conspicuae.

Ad cortices (coll. 3274).

Species thallo a pulvinulis fructiferis sorediiformibus albo-maculato facile a congeneribus distinguenda.

#### 127. *Phlyctis Andensis* Nyl. Lich. Angol. Welwitsch p. 9; olim *Platygrapha Phlyctella* in Prod. Lich. Nov. Gran. 2. p. 94 et Lich. exot. p. 229.

Corticola (coll. 5070, 5054).

#### 128. *Phlyctis Brasiliensis* Nyl. in Flora 1869, p. 121, sp. n.

Similis *Phlyctidi Andensi* Nyl. (*Platygraphae phlyctellae* Nyl. olim), sed differt praesertim sporis tenuioribus (long. 0,030—050mm.,

crass. circ. 0,0045 mm.), rectiusculis vel parum flexis, 7-septatis. Jodo thecae solum dilute coerulecentes.

Thallus hydrate kalico non tinctus.

Comparatur etiam *Phl. neozelandica* et *elegantior* Nyl. e Nova Zelandia. Nyl. l. c.

Corticola (coll. 1903, 3472, 5028 [specimen elapsis hymenii]).

Sporae in spec. 3472—8- loculares, long. 0,038—049; crass. 0,004 mm.

var. *variolaroides* Krphb.

Apotheciis in patellulas, minutis, rotundatas albo-farinosa mutatis.

Ad cortices (coll. 3191).

129. *Thelotrema conforme* Fée Ess. Supplém. p. 89; Tab. 27, fig. 4.

Sporae 8nae ellipsoideae, primo incolores, dein olivaceae, 4-loculares, long. 0,018—019, crass. 0,008—009 mm.

Ad cortices (coll. 2194). —

Sporae juniores 1-septatae, in quovis spora dimidio duo loculi.

130. *Thelotrema comparabile* Krph. spec. nov.

Thallus pallide cinerascens, laevigatus, opacus, continuus, effusus; apothecia verrucaeformia, hemisphaerica, prominula, medoeria, numerosa sed dispersa, vertice apertura (ostiolo) plerumque minuta, non raro ab nucleo turgescente albido vel obscurō subobturata, nucleus aut lentiformis, niger, nudus, vel sursum usque ad ostiolum turgescens albosuffusus; excipulum interius proprium deest; sporae octonae, hyalinae, ovoideo-elongatae vel oblongae 6-loculares, long. 0,011—017, crass. 0,006—007 mm. —

Corticola (coll. 5463).

Species similis quoad externam faciem *Thelotrema Bahiano* Ach., sed colore thalli et sporis sat diversa. —

131. *Thelotrema fuscescens* Krph. spec. nov.

Thallus fuscescens, late effusus, tenuis, inaequabilitates rugositatesque substrati valde prominentes obducens, superficie opaca, aspera, ambitu limbo fusco-atro limitatus; ostiola pro ratione ampla, in prominentiis numerosis thalli minutis, verrucaeformibus, fundo (disco) atro; sporae (rarissime in speciminiibus praesentibus inventae) oblongae, 6-loculares, fuscescentes, long. circ. 0,018, crass. circ. 0,008 mm.

Ad corticem rugosum (coll. 7119).

Species colore fuscescente thalli et limbo atrofusco hunc cingente jam primo intuitu facile a congeneribus distinguenda.

132. *Thelotrema viridi-album* Krph. spec. nov.

Thallus glaucescens, crassiusculus, valde inaequalis, colliculosus, laevis, rarius planus, subrugulosus, irregulariter effusus, sed ambitu determinato; apothecia valde numerosa in protuberantibus thallinis verrucoso-irregularibus immersa, ostiolis rotundis plus minus apertis, intus nucleo albido, pruinoso cancellato vel rimoso-rupto (hic inde etiam perforato) aut integro et dein perithecio membranaceo interno proprio albido tenuiter marginato; sporae 8nae, oblongae, hyalinae, 4-loculares, long. 0,011—0,015, crass. 0,005—0,008 mm.; paraphyses gracillimae, capillares, partim grumosae.

Ad cortices (coll. 3214, 3193).

Pulchra species, quoad faciem externam *Thelothrema myrioporum* Tkerm. nonnihil in memoriam revocans; sed ab hoc thallo glaucescente, valde verrucoso-inaequali, apotheciis majoribus et sporis differens, —

133. *Thelotrema emersum* Krphbr. spec. nov.

Thallus glaucescens, opacus, tenuis, effusus, ambitu linea angusta obscura cinctus; apothecia valde numerosa, verrucas thallinas prominulas emeras eformantia, ostiolo ampio, obtuse marginata, rotundo aut rarius oblongo, late fisso et tenuiter sublacero, intus nucleo disciformi albo-suffuso, non raro turgescente ostiolumque subobturante, perithecio interiore proprio deficiente vel obsoleto; sporae 8nae, fusiformes hyalinae, 8-loculares, long. 0,026—0,028, crass. 0,004—0,007 mm., paraphyses capillares, flexuosae, bene conspicuae.

Corticola (coll. 3189, 3257?).

Species similis *Theolotremati develato* Nyl., sed sporis ab hoc bene distincta.

134. *Thelotrema eformatum* Krph. spec. nov.

Thallus albidus vel pallido-glaucescens, opacus, tenuis, effusus; apothecia valde numerosa, paene thallum omnino obtegentia, majuscula (diam. circ. 1,0 mm.), verrucas thallinas prominulas emeras eformantia, vertice late aperta, apertura vel ostiolo late fisso, margine acuto integro aut lacero, intus nucleo disciformi turgescente albo-suffuso, perithecio (excipulo) interiore proprio deficiente; sporae 8rae, hyalinae, oblongae, 6-loculares, long. 0,022—0,024, crass. 0,005—0,006 mm.; paraphyses graciles, rectae, bene conspicuae.

Corticola (coll. 3190).

Species persimilis *Theolotremati emerso* nostro et *Thelotremati develato* Nyl., sed ab ambabus sporis sat differt. Etiam *Thelotrema*

*latebrarum* Tuckerm. in Wright Lich. Cub. Nr. 137 comparandum est.

135. *Thelotrema schizostomum* Krphbr. spec. nov.

Thallus pallide olivaceus vel luteolo-glaucescens, opacus, effusus, nonnihil rugulosus, tenuis; apothecia numerosa, minuta (thallum disrumpentia) verruculas thallinas efformantia, vertice plus minus late et vario modo fisso, rarius apertura rotunda acute marginata; intus nucleo disciformi albo-suffuso turgescente, perithecio (excipulo) interiore proprio deficiente; sporae 8nae, hyalinae, fusiformi-oblongae, 4—6-loculares, minutae, long. 0,011—015, crass. 0,005—006 mm.

Corticola (coll. 3260).

Species similis *Thelotrema efformato* et *Th. emerso* nostris, colore thalli et apothecii sporisque minoribus differens.

136. *Thelotrema olivaceum* Mont. Lich. in Cuba etc. p. 165; Syll. p. 363; Nyl. Prodr. Lich. Nov. Gran. 2. p. 43.

Corticola (coll. 1980. 3257. 3256. 3239. 1954. 5533).

137. *Thelotrema compunctum* (Sm.) Nyl. Prodr. Lich. Nov. Gran. 2. ad p. 46; *Urreolaria compuncta* Ach. Syn. p. 145; *Thelotrema pertusariooides* Nyl. En. géu. Lich. p. 118.

Corticola (coll. 3252 et 3255).

138. *Thelotrema trachodes* Nyl. in Flora 1869, p. 120. sp. n.

Thallus glauco-cinerascens, cartilagineo-obducent satis tenuis inaequalis et hinc inde isidiose papillosum (papillas breviusculas difformes proferens, crassit. circiter 0,2 mm. varieque spectantes), albo-punctatus; apothecia albida rotundata (lat. circa 1 mm. vel minus lata), nonnihil difformia, supra varie pertuso-composita, margine thallino firmo prominulo cineta; sporae 8nae incolores, oblongae 8—10-loculares, long. 0,027—037, crass. 0,010—011 mm. (jodo violaceo-coerulecentes).

Facie fere *Th. glypticum*, sed thallo passim papilloso-exasperato et sporis omnino aliis. Thallus crassit. fere 0,2 mm. Nyl. l. c.

Corticola (coll. 1981. 3197).

139. *Thelotrema concretum* Fée. Ess. Suppl. p. 90, tab. 37, f. 9.

Corticola (coll. 3224).

140. *Thelotrema album* Nyl. in Flora 1869, p. 120, sp. n.

Thallus albus tenuis opacus; apothecia incoloria parva, extus prominentia levi, margine firmulo et ostiolo minuto (diam. 0,1—0,2 mm.) indicata; sporae 8nae incolores oviformi-oblongae 4-loculares, long. 0,013—016, crass. 0,006—007 mm. (jodo violacea tinctae).

Affine *Thelotrema myriotremoidi* Nyl. Lich. exot. p. 221, quod vero mox distinguitur thallo albido-flavescente vel glauco-flavescente et sporis minoribus (long. 0,009—011, crass. 0,0034—0045 mm.)

Corticola (coll. 1974).

141. *Thelotrema microporum* Mont. in Ann. sc. nat. 3. XII. p. 130; Nyl. Syn. Lich. Nov. Caled. p. 36.

Corticola (coll. 2017).

142. *Thelotrema subcaesium* Nyl. in Flora 1869, p. 120, sp. n.

Thallus albus vel caesio-albus tenuis (crass. ca. 0,2 mm.) sublaevigatus, deum profunde (vage ariolatim) rimosus (areolis majusculis limitibus obtusis); apothecia incoloria parvula, extus prominentia thalli nulla aut obsoleta, ostiolo firme (diam. 0,04—0,12 mm.), interdum oblongo et saepius vestigio annuli marginalis depresso cincto, aggregata; sporae 8nae incolores ellipsoideae transversim 4—6-loculares (loculis mediis deum medio divisis et loculis secundariis irregulariter saepe dispositis), long. 0,016—020, crass. 0,010—011 mm. (jodo coerulecentes).

Accedit ad *Th. clandestinum*, sed differt variis notis, ut colore thalli et facie fere sicut in *Th. microsporo*, sporis irregulariter loculosis etc. Apothecia majora latit. usque 0,3 mm. Spermogonia extus punctulo nigro (lat. circ. 0,02 mm.) et levi protuberantia thalli indicata, intus incoloria (ostiolo solo obscurato vel fuscenscente); spermatia recta, long. 0,004 mm., crass. fere 0,001 mm. vel non-nihil tenuiora. Gonidia oblonga vel difformia. Nyl. l. c.

Corticola (coll. 2193).

143. *Thelotrema terebratum* Ach. Syn. p. 114.

Corticola (coll. 3225).

144. *Thelotrema glypticum* Nyl. Prod. Lich. Nov. Granad. p. 46.

Corticola (coll. 3246. 3247).

145. *Thelotrema Auberianoides* Nyl. Lich. Nov. Gran. 2. p. 43; Flora 1869, p. 120.

Sporae 8nae incolores 6—8-loculares, long. 0,021—030, crass. 0,008—009 mm. (jodo violacee tinctae).

Corticola (coll. 1885. 3258. 3192).

146. *Thelotrema myrioporum* Tuckerm. Observ. on North Americ. and other Lich., 1862, p. 412.

Corticola (coll. 3194).

147. *Thelotrema anamorphoides* Nyl. in Flora 1869, p. 120, sp. n.

*Thallus glauco-cinerascens* sat tenuis (crassit. vix 0,2 mm.) rugosus; apothecia albo-suffusa rotundata vel oblongo-diformia (lat. 1 mm. vel minora), supra foraminibus rimiformibus punctata, margine thallino firmo cincta; sporae 8nae fuscescentes oblongae simpliciter 4-loculares, long. 0,011—015, crass. 0,007—008 mm. (jodo coerulecentes).

Accedit ad *Th. anamorphum* et *metaphoricum*, a quibus facile dignoscitur colore et sporis. Spermatia recta, long. 0,0035—0045, crass. 0,001 mm. Nyl. l. c.

Corticola (coll. 1906, 3199).

148. *Thelotrema Auberianum* Mont. Cuba p. 163, tab. 8, fig. 2; Syll. p. 362.

Corticola (coll. 3198. 3254).

(Continuatur.)

---

### Einläufe zur Bibliothek und zum Herbar.

39. Annales de la Société botanique de Lyon. Troisieme année. 1874—75. Nr. 1. Lyon 1875.
40. Dr. L. Just, Botanischer Jahresbericht. 2. Jahrg. (1874), 3. Abth. Berlin, Bornträger 1876.
41. 6 kleinere Abhandlungen (aus den Sitzungsber. d. k. Akad. d. Wissensch. in Wien) von Jos. Böhm.
42. Lotos. 25. Jahrgang. Prag, 1875.
43. Abhandlungen der mathem.-physic. Classe der k. bayr. Academie der Wissensch. 12. Bd. 1. Abth. München 1875.
44. Dr. L. A. Buchner. Ueber die Beziehungen der Chemie zur Rechtspflege. Academische Festrede. München 1875.
45. 5. Bericht des botanischen Vereins in Landshut. 1876.
46. 5 kleine Abhandlungen v. Baron Thümen.
47. Dr. L. Celakovsky, vergleichende Darstellung der Placenten in den Fruchtknoten der Phanerogamen. Prag, 1876.

---

Redacteur: Dr. Singer. Druck der F. Neubauer'schen Buchdruckerei  
(F. Huber) in Regensburg.

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1876

Band/Volume: [59](#)

Autor(en)/Author(s): Krempelhuber August von

Artikel/Article: [Lichenes Brasilienses, collecti a D. A. Glazion in  
provincia brasiliensi Rio Janeiro 217-224](#)